

tis ex parte Dei. — Ratione tandem declaratur hæc veritas. Nam imprimis gratia sanctificans, cum suis donis et virtutibus infusis, de se potens est ad bene operandum, et ad vincenda peccata: hanc autem gratiam habent omnes justis; ergo ex hac parte sufficientiam habent. Aliunde vero huic gratiæ debentur auxilia actualia necessaria ad opera salutis, et maxime ad illa quæ ad salutem sunt necessaria. Duplicia enim sunt hæc auxilia, excitantia et adjuvantia, ad quæ reducuntur omnia, ut supra visum est: neutra autem desunt justis ex parte Dei; quod imprimis probatur de auxiliis adjuvantibus, quia justis non indigent novis auxiliis, seu gratiis adjuvantibus in actu primo, quia per habitum ipsum sufficientissime juvantur; indigent autem auxilio Dei adjuvantis in actu secundo: hoc autem adjutorium in re ipsa non exhibetur, nisi quando quis operatur, et ideo non est necessarium ad auxilium sufficiens, sed in efficaci includitur aliquo modo; requiritur autem ut præparatum et oblatum a Deo, et hoc modo non potest deesse justis, quia Deus de se non denegat cooperationem necessariam suis causis secundis, unicuique juxta modum et capacitatem suam; ergo maxime illam præbet gratiam et habitibus infusis, et homini justo ratione illorum, ut in sequenti libro latius ostendemus; ex hac ergo parte non deest justis auxilium sufficiens.

7. De auxiliis autem excitantibus, aliqui putant non esse necessaria habentibus jam sanctificantem gratiam et virtutes infusas, juxta quorum sententiam sine his auxiliis habent justis sufficiens auxilium. Alii volunt sufficere alia auxilia excitantia, quæ in mentibus fidelium insurgere possunt ex objectis externis, quæ Deus per gratiam suam providet, ad fidelium mentes excitandas, ut sunt verbum Dei prædicatum vel scriptum, exempla sanctorum, divina beneficia quotidiana, supplicia, itemque Sacramenta, vel ceremoniæ Ecclesiæ, et similia, quibus Deus cooperatur, et internam gratiam adjungit ad excitanda corda, præsertim justorum. Nam hic modus videtur de se sufficiens, si homines justis velint strenue ac diligenter his mediis uti: sed licet hoc sit verum, addendum est, in omni occasione et opportunitate gravis tentationis et periculi, aut licet externa media fortasse desint, ut potest accidere, Deum tamen nunquam deesse justo, quin interius ejus mentem sufficienter excitet, quantum necesse est ad præsentem occasionem mali, seu lapsus superandam. Hanc enim Dei promissionem habemus ex verbis Pauli:

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis; vel ergo moderabit tentationem, vel excitabit justum, quantum sufficiat, ut nemo possit dicere: Per Deum abest, ut Ecclesiastici 15, quia, ut dicitur Proverb. 3: Dominus erit in latere tuo ne capiaris. Denique hoc est valde consentaneum divinæ providentiæ, quam præsertim amicis suis promisit. Adde hoc genus auxilii sufficientis ad servanda singula præcepta, non tantum justis tribui, sed etiam peccatoribus, ut infra videbimus, alias non peccarent transgrediendo præceptum.

8. *Homo naturaliter oblitus, vel usu rationi impeditus, cum occurrit obligatio præcepti, nec peccat, nec Deus tenetur illum excitare ad advertentiam.* — Ut autem hoc generaliter intelligatur, advertendum est in hujusmodi opportunitate, in qua occurrit obligatio præcepti, necessarium imprimis esse ut homo sciat et advertat, vel naturaliter advertere possit, se habere tale præceptum, et hic et nunc ipsum obligare. Nam si homo omnino hoc non consideret, sed naturaliter oblitus sit, quamvis omittat, non peccabit, ut constat, et ideo necessarium non est ut tunc excitetur, nec pertinet ad providentiam gratiæ sufficientis ut Deus semper moneat ad hujusmodi considerationem, vel advertentiam pro illo tempore, ut experimento constat: et ratio est, quia tunc cessat periculum culpæ, propter quam vitandam est necessarium illud auxilium; similiter necessarium non est ut in tali occasione, in qua, de vitando actu prohibito agitur, homo sit compos sui, et ratione utens, nam si adeo perturbetur usus rationis, ut libertatis etiam usus impediatur, jam pro tunc non est homo in statu peccandi, vel bene moraliter operandi, ut constat; et ideo non est etiam necessarium ut nova gratia sufficiens pro tunc conferatur, quia cessat necessitas, ut declaratum est. At vero quando ratio est apta ad deliberandum, cum necessaria advertentia ad præsentem occasionem et obligationem servandi præceptum, tunc dicimus nunquam deesse actuale auxilium necessarium, quia sine illo excusaretur homo a peccato, etiamsi caderet, vel non servaret præceptum: homo autem, præsertim justus, sic ratione utens, nunquam excusatur ex eo capite quod desit illi Deus, ut probant testimonia adducta. Verum est tamen hoc auxilium ad servandum præceptum, vel non cendum tentationi, non semper dari immediate sufficiens ad totum effectum, sed mediante

oratione, ad quam proxime excitatur homo, quia vult Deus hominem, hoc modo, et Deum honorare, et amplius cooperari; et ideo dixerunt Augustinus et Concilium Tridentinum: *Jubendo monet facere quod possis, et petere quod non possis, et hoc tandem modo sufficiens auxilium ad perseverandum confert.*

9. *Datur actu gratia sufficiens in occasionibus præsentibus, pro futuris offertur a Deo.* — Et ita etiam expeditur difficultas, quæ hic oriri potest in homine lapsa ex parte concupiscentiæ, et corporis mortalis impedimentis, quæ difficillimam reddunt boni operandi perseverantiam. Nam etiam ex hac parte non deest justis auxilium sufficiens, quia hæc perseverantia, non tota simul occurrit, sed successive, et per singulos actus, et occasiones servandi præcepta, seu non peccandi; ergo ut ex parte Dei detur, vel offeratur justo hoc auxilium sufficiens, satis est quod per singulas etiam occasiones non desit tale auxilium: ostensum est autem quomodo detur in singulis; ergo simpliciter datur vel offertur pro omnibus et pro tota perseverantia et salute. Dico autem *datur, vel offertur*, quia in occasionibus jam existentibus et præsentibus, actu etiam et in præsentem datur: pro futuris autem offertur, quantum est ex parte Dei. Quod in usu seu praxi, ut ita dicam, sic potest explicari. Nam postquam homo justificatus est, non perdit justitiam, nisi peccando mortaliter contra aliquod præceptum; unde quando non occurrit præceptum affirmativum pro tunc obligans, nec moralis occasio peccandi contra præceptum negativum, facile potest justus necessaria ad perseverandum tunc facere per gratiam quam habet; cum primum autem occurrit occasio servandi præceptum, vel peccandi mortaliter, tunc pro illo definito tempore, non deest illi auxilium internum sufficiens ad bene operandum, ut declaratum est, et ita tunc illi actu datur auxilium præveniens, seu excitans sufficiens. Aut ergo homo non utitur bene illo auxilio sufficiente vel abutitur illo, vel cooperatur illi. In priori casu, amittit gratiam, et desinit esse justus, eique imputatur casus et perseverantiæ amissio, et non Deo, quia jam habuit auxilium sufficiens a Deo. Postquam vero jam est injustus, privatur quidem propriis justorum auxiliis, quæ sine dubio majora sunt; quomodo autem postea recipiat auxilium sufficiens, ad questionem capitis sequentis pertinet. Si autem talis justus in illa prima occasione bene usus fuerit illo auxilio divino, of-

fertur illi auxilium sufficiens, et forte uberiorius pro altera occasione proxime succedente, et illa oblata datur ei auxilium sufficiens accommodatum illi, et ita consequenter de reliquis usque ad finem vitæ: unde fit ut, quando per hominem justum non steterit, nunquam illi desit auxilium sufficiens ad conservandam gratiam, et consequenter ad æternam salutem consequendam.

10. *Solvitur difficultas initio proposita.* — Ad difficultatem in principio positam, patet solutio ex dictis. Nam aliud est accipere actualem perseverantiam, aliud accipere potestatem perseverandi, seu, quod idem est, auxilium sufficiens ad perseverandum. Nam illud prius pertinet ad gratiam efficacem propriam prædestinatorum, hoc vero posterius pertinet ad gratiam sufficientem communem omnibus; et ideo licet isti reprobi non accipiant perseverantiam, accipiunt nihilominus perseverandi potestatem. Et quod non recipiant actum perseverandi, non est ex Deo, sed ex ipsis, neque ideo non perseverant quia reprobi sunt, sed non perseverando fiunt reprobi, ut recte Prosper docet supra, et Fulgentius fere toto illo l. 2 ad Monim. Quomodo autem, hoc non obstante, perseverantia sit speciale donum, et in quo consistat, inferius suo loco tractabitur.

CAPUT X.

AN ET QUOMODO FIDELIBUS PECCATORIBUS SEMPER, DUM VIVUNT, GRATIA SUFFICIENS TRIBUATUR, QUÆ CONVERTI ET JUSTIFICARI POSSINT.

1. *Fidelibus in peccato existentibus datur gratia sufficiens ad penitentiam.* — *Probat assertio ex Scriptura.* — *Item ex Concilio Tridentino, atque ex Sanctis Patribus.* — Regula generalis est, fidelibus in peccato existentibus non negari auxilium sufficiens, quo penitentiam fructuosam agere possint, et per eam in gratiam redire. Hæc regula satis probata videtur ex generali principio in capite 8 demonstrato, proprie vero et in specie sumitur ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus peccatores, præsertim Deum agnoscentes et in eum credentes, ad penitentiam vocantur, ut est illud Ezechiel. 33: *Fili hominis, dic ad domum Israel; et infra: Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat.* Aut ergo illa voluntas Dei est absoluta, et dat auxilium efficax, aut est conditionata, seu antecedens, et dat sal-

tem auxilium sufficiens. Unde illud 2 Petr. 33 : *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*; et illud Pauli Rom. 2 : *Ignoras quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit*; et consonat illud Jerem. 3 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te*. Non enim illam ad reversionem invitaret, nisi paratus esset ad eandem reversionem illam juvare; similiaque sunt infinita vulgaria loca, ut Zachar. 4 : *Convertimini ad me*; Ecclesiast. 5 : *Ne tardes converti ad Dominum*; et Psalm. 49 : *Hodie si vocem ejus audieritis, quod allegans et locupletans Paulus ad Hebr. 3, ait: Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, ubi dicens, *donec hodie*, videtur intelligere quandiu præsens tempus et vita durat, ut Chrysostomus et alii exponunt. Veritatem etiam hanc confirmat Concilium Tridentinum in sess. 6 et 14, nam licet expresse non utatur signo distributivo, dicens omnibus peccatoribus dari hoc auxilium, tamen cum indefinite et sine limitatione generalem doctrinam tradat, eamque confirmet allegatis Scripturæ locis, sine ulla dubitatione illam generaliter intelligit. Dicit ergo in sess. 6, cap. 14 : *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari potuerunt*; et can. 29, anathemate damnat, *qui dixerit eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere*. Et sess. 14, c. 1 : *Quoniam (inquit) Deus, dives in misericordia, cognovit sumentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea (id est, post justificationem) in peccati servitute, et demonis potestatem tradidissent, utique remedium poenitentiae, de quo statim subdit: Licet non semper fuerit Sacramentum, fuisse tamen universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessarium*; et infra id confirmat verbis Ezech. 18 : *Convertimini, et agite poenitentiam, etc.*, quæ verba ad omnes peccatores dicta intelliguntur. Patres etiam qui universaliter de omnibus lapsis loquuntur, ut capite sequenti videbimus, a fortiori fideles peccatores comprehendunt, et specialiter hoc ex professo probat Cyprianus in libro de Lapsis. Rationes etiam cap. 9 allatæ ex voluntate Dei salvandi homines, et ex Christi redemptione, et ex Dei mise-

ricordia et justitia, hanc regulam probant, ut ex dicendis in duobus punctis sequentibus evidentius constabit.

2. *An Deus det gratiam sufficientem omnibus peccatoribus.* — *Ratio dubitandi ex Concilio Tridentino.* — *Confirmatur ratione.* — Duo enim circa hanc regulam supersunt explicanda : unum est, quomodo præbeat Deus hoc auxilium omnibus peccatoribus; aliud est, utrum ab hac regula exceptionem aliquam facere liceat. In priori puncto ratio dubitandi est, quia hoc auxilium sufficiens, etiam in his qui jam credunt, incipit ab excitante gratia, ut aperte docet Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, ubi docet exordium justificationis a vocatione Dei sumi, et cap. 14 declarat hoc non solum esse verum de tota prima justificatione, quæ incipit ab initio fidei, sed etiam de justificatione a peccato, post priorem justificationem atque adeo post comparatam fidem commisso : *Justificari (inquit) potuerunt cum excitante Deo*. Et can. 3 definit, etiam poenitentiam haberi non posse, *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione*, quæ est gratia excitans, ut supra diximus. Hæc autem gratia excitans non datur semper omnibus peccatoribus, etiam fidelibus, id est, non datur omnibus diebus, horis et momentis, nec potest assignari certum tempus in quo detur : quando ergo, vel quomodo datur hæc gratia sufficiens? Et declaratur augeturque difficultas, quia vel hoc auxilium sufficiens datur semper actu et in se, et hoc est per se incredibile : vel tantum offertur ex parte Dei, et hoc etiam dici non potest, quia aliquid expectaretur ex parte hominis, ut actu daretur ei tale auxilium, quod repugnat, quia illud ipsum fieri non potest, nisi per gratiam excitantem, juxta doctrinam Concilii Arausicani; ergo neutro modo datur tale auxilium.

3. *Hæc gratia non ita datur, ut semper et continue insit homini per actualem gratiam excitantem.* — *Probatur assertio.* — *Instantiæ respondetur.* — In hoc puncto imprimis dicendum est auxilium non ita dari, ut continue ac semper insit homini per actualem gratiam excitantem; hoc communiter receptum est, ut refert et sequitur Bellarminus, lib. 2 de Grat. et lib. arb., cap. 6; et Molina, q. 14, art. 13, in Concord., disp. 9 et 10; videturque manifestum, quia gratia excitans consistit in actibus vitalibus, qui non fiunt sine sensu et cogitatione ipsorum : nam ad hoc ipsum dantur ut excitent hominem, ut ex dormiente faciant vigilantem et attendentem, quod non po-

test esse sine aliqua experientia talium actuum. Ex ipsamet autem experientia, constat non omni tempore vel omnibus momentis fieri vel percipi a peccatoribus in seipsis tales actus; ergo non recipiunt isto modo semper et continuo hanc gratiam sufficientem. Responderi potest ipsos quidem peccatores semper actu recipere has actiones; aliis vero rebus magis attendentes, illas non percipere, neque sentire. At hoc incredibile est, tum quia ipsamet attentio ad res alias impedit attentionem ad hos actus gratiæ, qui sine attentione fieri non possunt; unde naturaliter et sine miraculo impossibile est continue exercere hos actus, et aliis rebus et negotiis humanis attendere; maxime, quia hæc attentio semper est vehemens, et cum magna sollicitudine, et ad res inferiores et sensibiles quæ maxime movent. Tum etiam quia si tales actus tunc dantur, quando percipi non possunt, non poterunt dici sufficientes ad convertendum talem hominem; ergo illo modo dati, non possunt dici gratia sufficiens, imo sunt inutiles, quia hominem non ita movent ut attendere faciant, et vix ita possunt dari sine miraculo; ergo superflue fingitur tale miraculum, seu talis modus providentiæ per continuam et nunquam intermissam excitationem, quæ nec statui viatoris debita est, nec modo operandi humano accommodata; unde nec etiam justis tribuitur; sicut enim dormientes non excitantur actu ad bonum operandum, ita etiam dum sunt nimium intenti aliis rebus, ut studiis, vel negotiis, actualiter non excitantur. Denique hæc continua excitatio non solum non cognoscitur experimento, verum etiam illi repugnat, et alioqui divina revelatione non habetur; cur ergo fingenda est? Minor patet, quia nec Ecclesia id docet, nec ex Scriptura id colligitur; quin potius ipsa Scriptura hos motus non semper dari indicat; dicitur enim Psal. 49 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Nam ille modus loquendi sub conditione indicat vocem Domini non semper insonare, et Apocal. 3 dicit Deus : *Ego sto ad ostium, et pulso*, qua metaphora significatur Deum semper stare ad januam, non tamen semper pulsare, sicut homo prudens facere solet. Unde (ut supra dicebam) Ecclesia sæpe orat Deum ut nos excitet, et ut peccatores vocet; signum ergo est non semper Deum id actu facere.

4. *Objicitur contra assertionem.* — *Construatur objectio ex sacra Scriptura.* — *Respondetur oppugnatur.* — Contra hanc vero assertio-

nem objici potest; nam sequitur peccatorem non posse in qualibet hora et momento vitæ suæ poenitentiam agere, si velit, imo nec velle posse. Consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia sine auxilio excitante peccator non potest agere poenitentiam; ergo si in quolibet momento non habet gratiam excitantem, nec etiam potest in quolibet tempore agere poenitentiam, cum desit illi principium dans posse, et sine quo non potest. Nec dici potest quod habeat illud auxilium in potestate sua, quia tale auxilium debet incipere a Deo, non ab ipso homine; Deus autem, ut supponitur, non dat illud; neque etiam potest dici quod sit paratus dare, quia tunc expectaret ab homine ut aliquid faceret quo obtineret illud auxilium: hoc autem dici non potest, quia homo non potest moveri, aut se disponere ad hoc auxilium excitans, quia tale meritum debet procedere ab ipso auxilio excitante; ergo quando illud actu non datur, homo est simpliciter impotens ad agendum poenitentiam, atque ita, si non omnibus momentis et temporibus datur, non potest homo omnibus temporibus agere poenitentiam. Falsitas autem consequentis probatur, primo, ex illis Scripturæ locis in quibus hortamur ad agendum celeriter poenitentiam, et promittitur remissio illam agenti, in quacumque hora; nam hujusmodi exhortationes et promissiones supponunt potestatem. Sic Ezechiel. 33 : *In quacumque die*; et Ecclesiast. 5 : *Ne tardes converti, etc.* Secundo, ex Concilio Lateranensi, in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, dicente homines baptizatos post lapsum semper posse per poenitentiam reparari: si ergo semper possunt, ergo in quolibet hora et momento possunt. Tertio, quia alias esset homo in hac vita pro aliquo tempore extra statum salutis, nimirum pro illo in quo actu non excitatur. Dices non esse extra salutis statum, quia, licet tunc non excitetur, postea excitabitur. Sed contra, ponamus hominem in fine vitæ, qui ultimam accepit excitationem, et noluit converti; ille enim reliquo tempore extra statum salutis manet, quandoquidem amplius excitandus non est. Nec potest negari quin, durante vita hominis jacentis in peccato, aliqua excitatio sit futura ultima, quia omnes excitationes vitæ sunt finitæ, et terminum habent: terminus autem est ultima excitatio, quæ necessario futura est in aliquo instanti ante primum non esse hominis, inter quæ duo instantia mediat tempus: ergo saltem illo tempore erit homo extra statum salutis, et fieri potest ut sit per ma-

gnam moram, quia si Deus non semper excitat, potest per plures dies non excitare, idemque poterit facere cum homine in fine vitæ. Denique ob hanc forte difficultatem, Concilium Senon., in decret. Fidei, cap. 13, videtur expresse dicere contrariam sententiam; cum enim docuisset auxilium excitans, seu præveniens, esse ad operandum salutem necessarium, ex qua necessitate videbatur sequi hominem non habere libertatem ad talia opera, quia non semper habet tale auxilium, ad hanc tacitam objectionem excludendam, adjungit: *Hæc tanta gratiæ necessitas libertati non repugnat, quia Deus semper in promptu est, et nec momentum præterit in quo non stet ad ostium et pulset*; et ad idem alludit Hieronymus, epist. ad Ctesiphontem, dicens: *Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit.*

5. *Deus, quantum est ex se, nullo tempore denegat peccatori gratiam excitantem, sed eam dat tempore opportuno.* — *Probat prior pars assertionis.* — Antequam his objectionibus respondeam, addo alteram assertionem, ex qua facilius erit responsio. Dico ergo Deum, quantum est ex se, pro nullo tempore denegare peccatori excitationem ad pœnitentiam, dare autem illam temporibus opportunis. Priorem partem probat objectio prima posita, si sensus illius partis recte intelligatur. Aliud est enim non dare, aliud denegare: aliqua enim non confert Deus quæ paratus est dare, quando necessarium, vel opportunum fuerit; ideoque licet extra illam occasionem non det excitationem, non ideo simpliciter denegat. Dicitur enim denegare, quando proposito absoluto decrevit non dare, quidquid ex parte hominis, vel aliarum causarum occurrat. Imo, quando Deus ex se aliquid denegat, etiam occasiones dandi fugit, vel impedit. In hoc ergo sensu dicimus pro nullo tempore hujus vitæ denegare Deum peccatori auxilium excitans ad pœnitentiam, esto non semper actu illud inspi-ret. Hoc probat illa ratio, quod homo, quamdiu vivit, est in via, et non est obstinatus nec desperatus; ergo necesse est ut saltem ex parte Dei illi pateat aditus ad salutem, qui aditus in sancta excitatione consistit. Et confirmari hoc potest verbis Sapientis, Ecclesiastici 18: *Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ejus. Propter hoc patiens est Deus illis, et effundit super eos misericordiam suam; vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est, et cognovit*

subversionem cordis eorum, quoniam nequam est. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. Per quæ verba ostendit Sapiens totum hujus vitæ tempus esse tempus propitiationis, et Deum paratum esse ad miserendum, ac proinde nunquam ex se negare auxilium pœnitentiæ, et D. Prosper, ad objectionem sextam Vincent., in hoc constituit discrimen inter statum damnationis et viæ, et ad 13 ait: *Nemini autem Deus correctionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Eandemque doctrinam late confirmat ad excerpta Genuen., cap. ultim., eam ex Augustino sumens lib. de Don. persever., cap. 15 et 22, et eandem habet Augustinus lib. de Natur. et grat., ubi etiam refert optima verba sua ex libr. 3 de Liber. arbitr., cap. 18, quæ eandem sententiam continent: quam etiam Concilium Senonense, et Hieronymus locis citatis intendunt.

6. *Probat secundam partem assertionis, ex Psalmis.* — Altera pars assertionis sequitur ex præcedenti, a sufficienti partium enumeratione. Nam Deus de se paratus est ad dandam excitantem gratiam, et non semper actu dat; ergo saltem daturus est temporibus opportunis, juxta illud Psalm: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Ut autem explicemus hæc opportuna tempora, advertendum est quod in superioribus diximus, Deum dare hanc sufficientem excitationem, vel per externum verbum suæ prædicationis, aliave similia objecta, ut sunt exempla Sanctorum, Dei beneficia, tribulationes, etc., vel mere interius, prioremque modum esse necessarium et communem, posteriorem vero magis peculiarem et extraordinarium. Unde ad priorem modum excitationis relicta sunt a Christo media, et veluti ordinaria organa quibus Deus utitur ad excitandos peccatores ad pœnitentiam. Dicimus enim Deum de se paratum esse ad excitanda corda peccatorum per hujusmodi causas, nam, quod in ipso est, pro omnibus illas instituit, et non de se impedit quominus talium causarum sonus et vox seu actio ad omnes perveniat. Et, quod caput est, quoties similis occasio occurrat, in qua homo per hujusmodi ordinarias causas exterius excitetur, Deus actu etiam interius excitat cor; et quantum credibile est, unum ex temporibus opportunis in quo Deus tangit cor, et actu pulsat interius, est illud in quo verbum externæ prædicationis, vel aliud objectum æquivalens exterius incipit excitare homines. Nam ut supra etiam tetigi, ista excitatione exterior cum sola virtute naturali in-

tellectus nihil valeret ad opera pietatis, nisi spiritus gratiæ interius sese insereret, et illo instrumento altiore excitationem in mentem efficeret. Quod ergo tunc Deus non neget suæ gratiæ influxum, omnino credendum est, tum quia illud videtur esse tempus maxime opportunum; tum etiam quia illa externa excitatione est quasi causa secunda, a Deo ordinata ad illum effectum; et interna excitatione Dei sufficiens, est quasi necessarius concursus, vel adjutorium requisitum ut illa causa possit effectum illum consequi; ergo ad ordinariam providentiam gratiæ spectat, ut Deus tunc conferat auxilium ex parte ipsius necessarium.

7. *Probat ratione assertio.* — *Cum excitatione exteriori adest interior.* — *Patet ex sacra Scriptura, Matth. 11, Joan. 13, D. Paulo ad Rom. 10.* — Præterea, confirmatur et declaratur in hunc modum, quia dubium non est quin Deus sæpissime utatur hoc medio ad convertendos peccatores per verbum prædicationis, vel per lectionem aliquam sacram, vel per externum bonum exemplum, aut objectum incutiens timorem, ut est mors alicujus amici et similia. Ergo oportuit certam aliquam legem providentiæ divinæ gratiæ in hoc esse statutam, ut omnes qui exterius sufficienter excitantur, inexcusabiles fiant si non cooperentur. Nam si, exstante exteriori excitatione, nulla esset certitudo de interiori, sed hoc esset positum in solo Dei arbitrio, non posset cum certitudine imputari homini, cui proponitur exterius fides sufficienter, etiamsi non crederet, quia fortasse non habuit interius sufficientem auxilium. Denique dici posset de Pharaone, verbi gratia, cujus vocatio exterior, ut Augustinus ait, fuit cognitio beneficiorum externorum Dei per Joseph. Contrarium autem ex facto illo colligimus: nam, eo ipso quod exterius sufficienter vocatus fuit, docet Scriptura graviter peccasse resistendo vocationi; ergo dicendum est non defuisse illi interiorem vocationem sufficientem. Denique supponimus, ex verbis Christi Domini, Matth. 11: *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent, quæ reprehensio fundamentum non haberet, nisi supponeret cum illis virtutibus externis datam esse sufficientem excitationem internam, cum qua alii forent convertendi.*

8. *Confirmatur ratione.* — Idem supponunt illa verba Christi Joan. 13: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum*

non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Haberent autem si externa excitatione non esset sufficiens et exteriori accommodata. Id etiam optime persuadent verba Pauli Roman. decimo, quæ ipse refert ex Deuteronom. 30: *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo; hoc est, verbum fidei (ait Paulus) quod prædicamus.* Sicut enim, cum auditur, corde recipi et ore confiteri debet, ita, cum prædicatur, non tantum ad aures corporis, sed etiam ad aures cordis prædicari debet, ut sufficienter proponatur, quod non fit sine interna Dei excitatione sufficiente; quia vero hæc cum prædicatione externa conjuncta est, ideo Paulus ibidem hanc satis esse putat ad redarguendos incredulitatis eos qui audientes Evangelium non obediunt illi, et hoc est quod ait: *Sed numquid non audierunt, et quidem in omnem terram exivit sonus eorum?* Et ad hoc ipsum alia Scripturæ loca inducit. Idemque alia confirmant quæ sequenti capite expendemus. Denique si, proposito sufficiente objecto externo fidei vel pœnitentiæ, Deus non daret certa lege auxilium internum sufficiens; quando non daret, jam per seipsum, et non per hominem staret ipsius conversio: hoc autem dici non potest, ut ostensum est; ergo pro regula certa habendum est Deum, in hujusmodi opportunitate, semper dare excitationem internam sufficientem exteriori vocationi accommodatam. Quod addo, quia hæc interdum potest esse immediate ad pœnitentiam, et tunc excitatione interior est immediate sufficiens ad illam: aliquando vero est vocatio exterior ad aliquod opus virtutis, ut ad petendam pœnitentiam, et tunc auxilium internum proxime erit sufficiens ad orationem, et remote ad pœnitentiam per orationem impetrandam, et sic de aliis.

9. *Ad excitationem mere internam certa tempora non possunt designari.* — *Duo tamen probabiliter designari possunt.* — Ad excitationem autem mere internam, non tam facile possumus certa tempora opportuna designare, pro quibus certa sit divina excitatione interior ad pœnitentiam. Unde maxime videtur pendere ex arbitrio Dei, qui singulis distribuit hæc extraordinaria dona, prout vult. Duo tamen probabiliter dicere possumus. Unum est, tempus aliquod esse pro quo pœnitentia est absolute necessaria ad salutem æternam, ut, si homo fidelis, in peccato existens, in articulo mortis constituatur, et in tali tempore credibile valde est, etiamsi desint